



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

VIII. Cuius sit Sanctos canonizare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)



Idem accidit tempore Alexandri III. vt patet ex cap. Audiui-  
mus, extra de reliquiis, & Sanctorum ueneratione, vbi repre-  
hendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro  
Martyre venerabantur.

CAPVT VIII.

*Cuius sit Sanctos canonizare.*

**D**E SECUNDO, ad quem videlicet pertineat au-  
ctoritas Sanctos canonizandi, notandum est,  
duobus modis posse aliquem canonizari. VNO  
modo particulariter, ita vt solum in vna pro-  
uincia, aut diocesi habeatur Sanctus, & colatur pro Sancto.  
ALIO modo generaliter, ita vt in tota Ecclesia habeatur pro  
Sancto, nec vlli liceat de eius sanctitate dubitare.

PRIMO modo canonizare poterat quilibet Episcopus,  
vt docet Thomas VValdensis libro de Sacramentalibus, tit.  
14. cap. 122. & patet tum ex Cypriano lib. 3. epist. 6. vbi iubet  
ad se scribi, cum aliquis Martyr de hac vita exit, vt statim  
possit eius memoriam sacrificiis celebrare, & singulis annis  
postea diem eius natalem colere; tum etiam ex multis San-  
ctis, quos ita colunt quaedam prouinciæ, vt tamen ignoti  
sint penitus aliis prouinciis. vnde in Concilio Florentino,  
sess. 7. dicunt Latini, Simeonem Metaphrastem in Ecclesiis  
Græcorum pro Sancto coli, cuius apud Latinos nulla vn-  
quam memoria existit. tamen hoc, quod olim licuit, mo-  
dò non licet. siquidem Alexander III. & postea Innocentius  
III. videntes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cul-  
tum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coli in-  
ciperet, sine Romani Pontificis approbatione, vt patet cap.  
1. & 2. de reliquiis, & Sanctorum ueneratione.

SECUNDO modo canonizare, id est, ita vt in tota Eccle-  
sia Sancti habeantur, communis sententia est, pertinere ad  
summum Pontificem: nam id habetur, cap. Audiuius, &  
cap. Cum ex eo, de reliquiis, & ueneratione Sanctorum, &  
cap. Venerabili, de testibus & attestationibus. & patet etiam  
ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiæ quid  
sit credendum, & quid agendum in iis, quæ sunt religionis,



qui toti Ecclesiæ præest. Item ex contrario, declarare, qui sint hæretici, ita ut à tota Ecclesia pro talibus habeantur, est summi Pontificis, ut antè ostēdimus, ergo declarare qui sine Sancti, & colendi, eiusdem erit summi Pontificis.

DICES, plurimi Sancti sunt, qui in tota Ecclesia coluntur, quos non canonizavit summus Pontifex. Primus enim Pontifex (ni fortè fallor) qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III. de quo sic scribit sanctus Ludgerus in epistola de miraculis sancti Suiberti, cap. 9. in 2. tomo Suriij: *Tandem deuota instantia Caroli (Magni) & Hildebaldis Archipræsulis Coloniensis, venit à Colonia idem Papa VVerdam, & ibi post alias solennitates sanctum Suibertum solenniter Catalogo sanctorum Confessorum adscripsit pridie Nonas Septembris.* Hanc primam legi solennem canonizationem. antequam forrassè fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat. Postea autem Innocentius II. canonizauit sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolis, ut patet ex epistola eiusdem Pontificis ad Priorem Carthusiæ datam, apud Surium tom. 2. Inde verò Alexander III. beatum Bernardum in Sanctos retulit, ut habetur ad finem librorum de vita eiusdem Bernardi. à quo tempore omnes alij, qui Sancti sunt habiti, ut Thomas Cantuariensis, Dominicus, Franciscus, & alij, à Pontificibus in numerum Sanctorum relati sunt. Quid ergo dicemus de tot Sanctis, qui ante ea tempora colebantur in Ecclesia?

RESPONDEO, Sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia vniuersali, non tam lege aliqua, quàm consuetudine. Sed sicut consuetudines aliæ vim habent legis ex tacito consensu Principis, & sine eo nullam vim habent, ut patet ex beato Thoma, 1. 2. quæst. 79. artic. 3. ita Sancti alicuius cultus, ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expressa summi Pontificis.

